

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Collegii Disputatorii Theses Morales Philosophicas

Disputatio III :

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1713]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002663059>

Band (Druck)

Freier



Zugang



RU phil. Februar 1713

Aepinus, Franc. Alb.

1b



Q. D. B. V.

COLLEGII DISPUTATORII

THESES MORALES PHILOSOPHICAS

exhibitentis

DISPUTATIO III.

Qvam,

PRÆSIDE


FRANCISCO ALBERTO ÆPINO,

PH. & TH. D. LOG. PROF. DUC. PUBL.

D. FEBRARIJ, ANNO MDCCXIII.

ventilationi expositurus est

JACOBUS *Sördß* / Gustrov.
Ph. & J. U. St.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi
Senatus Typographi.

112131

THESIS I.



Vemadmodum nulla alia Scientia est , qvæ non conclusiones suas ex certo aliquo atque proprio ei principio probet , cum alioquin ne nomen quidem Scientiæ sustinere posset ; ita etiam Philosophiæ Moralis partes , Ethicam puta atque Politicam , quantum Scientiæ sunt , suum proprium atque certum habere principium , necesse est . Idque jus Naturæ primi esse dicimus , quantum alias etiam in Ethica rationabilis conve- tudo , & in Politicâ , præsertim speciali , leges positivæ suam vim habeant . Non autem jus Naturæ Ethicam præsupponit , quasi ex hac illud efforman- dum , aut efformatum esset . Nam quodlibet principium conclusionibus naturæ prius ac notius esse debet , id quod de Ethica respectu juris Naturæ nullatenus dici poterit . Est enim jus Naturæ Ethica universalius , nec posito jure Naturæ , statim ponitur Ethica , ut potius est contrario , positâ Ethicâ , non possit non ponи jus Naturæ . Multo magis id de Politicâ dicendum , ut ut fatendum sit , qvæ Politicæ sunt considerationis , non directe , sed reductivè tantum ad jus Naturæ pertinere . Civitates enim à Natura non esse , ducimus : posteaquam autem alias ob causas introduc- Etæ sunt , jus Naturæ de illis disponit , præscribendo , quid in civitati- bus justum sit , quidve injustum , cum generaliora præcepta sic ad specia- lius negotiū applicantur . Neque tantum heic apud nos Aristotelis valet autoritas , ut ejus in sententiam ruamus , quandò , hominem naturæ animal politicum esse , pronunciat , siquidem , non quis dixerit , sed qui- bus ex rationibus sit dictum , attendere Philosophum decet .

THESIS II.

Fundamentum , cur actio moralis abs homine patrata eidem jure imputari queat , i. e. ut non solum actionis patratæ causa haberi , sed etiam ad rationem de ea reddendam adstringi possit , effectusque talem actionem sequentes in ipsummet redundant ; in agentis liberâ voluntate querendum maxime est . Vemadmodum enim pro causa actionis haberi non potest , penes quem ea neque in se , neque in causâ sua fuit ; ita propior imputationis ratio nulla alia dari potest , quam quod penes hominem fuit , ut actio , cuius ratio poscit , fieret , vel non fieret . Ut adeò a voluntate liberâ ad imputationem affirmativè pariter ac negativè concludendum sit , idque quasi indemonstrabilis ac per se notæ veritatis seu primarii axiomatis loco sit supponendum . Etenim si non liberè age- rent

rent homines, Leges omnes, omnes adhortationes, dehortationes, præmiorum promissiones, poenarum comminationes frustraneæ forent. Imò in tantum id comprobatum omnibus est, ut nullam fermè aliam aut effaclorem allegare excusationem se posse homines putent, qvam qvod ipsorum in potestate ac arbitrio non fuerit, aliquid factum vel non factum esse. *Conf. HENR. MORI Enchirid. Eth. Lib. III. Cap I. §. 13.*

THESIS III.

Ex qvo conseqvitur, qvod, qvæ qvis coactè patitur aut agit, eidem imputari non possint. Potest autem coactio dupli modo fieri: vel cum qvis valentior alterius membra per violentiam ad aliquid agendum vel patiendum applicat, à qvo alias abhorret; vel cum qvis potentior grave aliquod malum cominùs alteri intentat, illudque inferendi vires habet, nisi aliquid agat vel patiatur, qvod acturus aut passurus alias non esset. De prioris generis coactione dubium non est, qvin imputacionem tollat, qvia tali in casu coactus nudi objecti aut instrumenti vicem gerit. De posteriori verò dubium movet *TITIUS Observat. ad Puffendorf. de Off. Hom. & Civ. Lib. I. Cap. I. §. 24.* qvia incoacto est aliqua voluntas, unde nulla appareat ratio, cur hic à regulâ de actionibus voluntariis imputandis sit facienda exceptio. Ast videntur heic diversæ circumstantiæ considerandæ esse. Vel enim invito injungitur à potentiore, cui simul jus imperandi est, nuda exsecutio actionis, qvæ ab ejus persona non abhorret, qvamqve suo malo ita redimere non potest, ut non etiam ab aliis peragenda sit: & tum agenti imputari non potest, cum & sic merum instrumentum sit. Vel injungitur actio, qvæ agenti fit propria, aut ab eo, cui nullum in alterum jus est: tum melius est pati malum, qvam agere, & agenti actio, sed tamen cum aliquo moderamine, imputabitur.

THESIS IV.

Officia hominis erga seipsum, quantum ad ipsam personam ejus immediate spectatam attinet, versantur circa illius animam atque corpus, tanquam duas essentiales & constitutivas hominis partes. Qvoniام verò anima principalis ac potissima hominis pars est, utpote per qvam homines sumus: ideo & illius potissima est cura gerenda, adeò qvidem, ut, licet alias ordinariè neutra pars cum alterius damno ac detimento colenda sit, (nam corpus non minus ac anima essentialis hominis pars est) si tamen causus evenerit, quo alteri cedere alteram oporteat, culturæ animæ, utut cum detimento corporis, potior habenda sit ratio. Anima namq; principalis, corpus minus principalis hominis pars est: partem autem potiorem, qvam seqviorem, minus negligi debere, ipsa ratio dicitat.

C 2

TH.

THESIS V.

Juramentum in se spectatum nullam peculiarem aut novam obligationem introducit, sed obligationem sive expressam sive præsumptam jam præsentem magis confirmat, & quasi arctiorem reddit. Quid si igitur causæ, unde enascitur obligatio, cessant, aut talia obveniunt, quæ consensus hominis, quem ad inducendam obligationem liberum & ultro-neum esse oportet, impediunt, juramenti quoque nulla vis aut efficacia erit. Quamobrem non obligant juramenta dolo malo elicita, nisi quis cognito etiam dolo juratus fuisset. Aequiparatur enim tale juramentum, propter absentiam veri consensus, actioni invitæ: invita autem actio moraliter pro non-actione habetur, idemque est, ac si juratum planè non fuisset. Neque impleri opus est juramenta injusto metu extorta. Nam & hic non adest ultroneus consensus, nec alteri jus est, quo jusjurandum postulare eoq; mediante obligationem imponere possit. Omnia minime servanda sunt juramenta de rebus illicitis præstata. Est quippe juramentum de rebus illicitis illicita actio, quæ pro non-actione moraliter aestimetur, oportet. Et servando tale juramentum duplex committeretur peccatum, unde Regula: malè jurata pejus servantur. Tandem nec ad physicè impossibilia obstringere juramenta possunt, cum impossibilium nulla detur obligatio, immo tale juramentum actio inanis sit atque frustranea. Confer. de his PUFENDORFIUS Lib. I. de Off. Hom. & Civ. Cap. XI. & Lib. IV. de jur. Nat. & Gent. Cap. 2.

THESIS VI.

Hominem ut modestiæ studeat obligari, eandemque socialitatì quam maximè convenire, quilibet in semet ipso deprehendet, cum Natura cuilibet delicatam quandam sui implantaverit aestimationem, cui si quid detrahatur per contemptum, à superbìa provenientem, non minus sàpè conmoveri solent, quam si corpori aut rebus noxa infertur. Unde qui æquales secum omnes aestimant, aliisque eadem permittunt, quæ sibi, ad societatem maximè idonei sunt; qui autem plus, quam aliis tribuunt, honoris sibi arrogant, nullo licet præ reliquis eximio jure pollentes, insociabiles planè existunt. Interim honores ambire & accipere non penitus prohibetur per modestiam, quin illud utile non-nunquam sit societati humanæ sive directe sive indirecte. Quandoquidem enim, præsertim in civitatibus, dignitatis gradus cum muneribus aliisque statibus conjuncti sunt, quos honores comitari solent, ita verò munera ambire & obire, aut in tali statu esse licitum est, nec minus & honores

honores iis adiunctos ambire ac recipere licet, imò & necessarium est, cum expleri talia munera, aut status talis servari sine autoritate ac honore non possint. Interim modestus honores non quærit ex talibus bonis, quæ ejus in potestate non sunt, sed à DEO, Naturâ, aut fortuna ipsa tributa, utpote formæ elegantiâ, corporis robore, ætate florida, ingenii vigore, eruditione, dicitis, natalium splendore, generis nobilitate, hisque similibus. Agnoscit quippe, nihil in homine quidquam esse, cur laudari ac honorari debeat, præter virtutem, quâ contentus de fortunæ casibus vulgique opinione parùm sollicitus est. Fundamentum itaque honoris accipiendi unicum reputat virtutem & provenientia ex eadem in societatem humanam præclara facinora, imò & his eundem promereri nititur, ad quæ & alioquin quilibet obligatur, quæque propterea cum ignoti nulla cupido, ut aliis innotescant, prudenter citraqve jactantiam propriam ve laudem, (ut tamen dotes suas laudesque justo plus extenuare non teneatur) efficere licet. Unde & honestam famam, in quantum ea honestarum actionum & præclarorum moliminum vel medium est vel occasionem dat, parare, paratam, vitata omni mali specie, servare & contra obtræctationes atque calumnias, si præclaris ejus moliminibus impedimento futurae sunt, defendere homo tenetur. Qui enim ad præclaras molimina, tanquam ad finem, obligatur, is non minus ad honestam de se famam excitandam & tuendam obligatur, quatenus ea vel medium est ejus finis, vel occasionem illi dat. Quid si vero calumniæ ac criminaciones parum vel nihil obfuturæ sunt moliminibus nostris, easdem retundere supervacaneum foret, id quod etiam ne modo illico ac parum necessario vanoque fiat, cavendum quam maxime est.

THESES VII.

Rerum publicarum rectarum tres esse species sive formas, ex Politicis notissimum est, videlicet: *Monarchiam*, quando summa in Civitate potestas est penes unum; *Aristocratiam*, quando summa in Civitate potestas est penes Optimates; *Democratiam*, vel si maiis, *Politiam*, quando summa in Civitate potestas est penes Populum. Etiam si autem hodierno tempore vix invenire liceat puræ Democratiæ exempla; nullum tamen dubium est, quin ea antiquissima Rerum publicarum species sit, ex quâ deinde temporis tractu Aristocratiæ & Monarchiæ enatæ. Vix enim ac ne vix quidem credibile esse videtur, homines naturalem suam libertatem primitus ita deseruisse eademeque se abdicasse eum in modum, ut ne quidem aliqua ejusdem vestigia inter iplos ulterius cernerentur.

Probabilissimum è contrario potius est, convenisse qvidem inter se homines, qui civilem societatem inirent; attamen reservatâ sibi in illis, quæ ad isthanc societatem qvocunqve modo spectarent, suffragiorum ad minimum conferendorum potestate. Conf. PUFENDORFIUS Lib VII. de Jur. Nat. & Gent. Cap. V. §. 4. item Introd. ad Histor. Cap. I. §. 2. 3. Dissentient, Monarchiam primam & antiquissimam Rempublicam dicentes, BOXHORNII Lib. II. Instit. Polit. Cap. I. §. 3. CLASENIUS Lib. II. Comp. Polit. Cap. III. §. 1. Qvando autem inter Politicos: quænam harum Reipublicæ formarum ceteris præstantior sit? disputatur, pro singulis argumenta pugnant non pauca nec improbabilia, qvorum multa collecta abs J. A. SCHMIDIO Part. III. Polit. Posit. §. 1. n. 1. & b. Sed absolutè in hac qvæstione nilqvidqyam determinari poterit. Non enim possunt commoda & incommoda alicujus Reipublicæ rectè spectari, nisi comparatione ad alias institutâ, habito præsertim populi, ejusdemqve morum ac consuetudinum respectu. Interim qvando comparatio inter istas Reipublicæ formas instituitur qvoad commoda incommodaque singularum, Democratiam Monarchiæ & Aristocratiæ longè posthabendam esse, dissitendum non erit.

THESES IX.

Magistratui Politico curam Religionis & Sacrorum competere, contra Pontificios asserimus atqve defendimus. Imperantes enim omnia curare oportet, à qvibus salus Civitatis dependet: hujus autem medium præstantissimum & efficacissimum esse Religionem, negare quis ausit? Est namq; Religio ultimum firmissimumq; societatis civilis vinculum, ut qvò Imperantium autoritas Legumqve vis pervenire non valent, id impetrat Religio, qvæ adeò Legum ponendarum ac justitiæ firmamentum meritò audit. Viigitur hujus ipsi competentis potestatis imperans curare debet, ut vigeat in Republica Religio, maximè ut & existentia DEI cum perfectionibus illius, & providentia, præsertim circa res humanas, ut ita dicam, occupata, agnoscat. Nam qvoad effectum moralem perinde est, utrum quis neget, DEum existere, an ab eodem humana curari; cum utrumq; omnem Religionem planè tollat. Frustrâ enim metuitur aut colitur, ut ut in se sit præstantissimus, qui nullâ planè nostrâ curâ tangitur, & nihil boni maligi nos vult, aut potest conferre: ceu optime monet PUFENDORFIUS Lib. I de Off. Hom. & Civ. Cap. IV. §. 4. Qvamobrem Imperantium erit Atheismo indirecto pariter atqve directo omnem præcludere viam, ipsosqve Atheos è medio removere. Evidem TITILLUS

TITIUS Obseru. ad Pufend. Lib. c. §. 2. Obs. 95. qvocum & alii nonnulli faciunt, concessio, Atheismum esse detestabilem, haud tamen gravissimi poenis eum coëceri debere, putat, additâ ratione: quia vi & poenis notitia DEI nemini invito ingeri potest: Errantis poena est doceri, exitus DEO est commendandus. Sed hæc ratio tum eqvidem valet, nec aliam in contrarium invenire possumus, si quis Atheismum suum sibi servat & occultat, è blasphemis abstinent, nec disseminare ipsum aliisque instillare nititur; qvodsi verò eundem propalare aliorumque animis ingerere conatur, e medio tollendus est, ne infanda suâ doctrinâ, qvâ nulla perniciösior Reipublica esse potest, cives corruptat. Etenim si omnibus persuaderetur Civitatis membris, nullum dari DEum, qui timendus ab hominibus esset, qvænam, qvæso, remansura esset Legum vis? qvæ Imperantium autoritas atque potentia? qvæ inter mortales fides? qvæ humanitatis aut amicitiaz officia? qvæ omnia longeque plura alia, qvibus nititur fatus civitatis sublata forent, Atheismo in Civitate grassante.

THESIS IX.

Polygamia distingvenda est in Polyandriam, qvâ foemina una pluribus simul nubit maritis; & Polygyniam, qvâ unus mas plures simul sibi ducit uxores. Polyandriam juri Naturæ adversam esse, extra dubium ponitur. Rationem plerique à causâ Physicâ repetunt, fieri scilicet ita seminis commixtionem, persuasi. Ast ea metuenda nulla est, factâ semel conceptione. Non igitur causa physica, sed potius moralis ratio prohibens qværenda est, qvæ in eo consistit, qvod partus redditur incertus, ut nec ipsa mater patrem satis certò indicare possit. Inde autem evenire potest, ut vel singuli eundem sibi velut suum vindicent, ex qvo contentiones exorituræ socialitatem evertentes; vel omnes educationem ejus negligant, cum detimento civitatis. Quantum verò ad Polygyniam attinet, eam jure Naturæ prohibitam esse, nulla evidente satisque solidâ ratione demonstrari potest. Nihilominus, si vel maxime à primæva matrimonii institutione in divinis literis tradita abstrahamus; ex ipsa tamen rectâ ratione constat, longe decentius juxta atque utilius esse, unum unâ esse contentum: qvæ sunt verba PUENDORFII Lib. II. de Off. Hym. Et Civ. Cap. II. §. 5. in quibus ducimus acqviscendum esse.

THESIS X.

Quemadmodum ad generationem & educationem liberorum uterq; Parens concurrit, Mater æque ac Pater, qvod suum est conferendo; ita & utriq; in prolem aliquaque competit potestas. Ast fieri nequit, ut duobus simul æquale in alterum imperium competat, & hinc qværitur: utrius-

nam.

nam Parentum jus in prolem sit potius? *HOBESIUS Element. Phil. de Civ. Cap. IX. §. 37.* originale in liberos dominium matris esse, patris autem derivatum, afferit, quia jure Naturæ dominium infantis ad eum primum pertinet, qui primus in potestate suâ ipsum habet: manifestum autem est, eum, qui modò nascitur, priùs esse in potestate matris, quam eujusquam alterius. Et quidem quantum ad prolem extra conjugium prognatam, ea primum matris citra dubium est, cum in tali statu, nisi matris indicio, pater sciri non potest, saltem morali certitudine, quâ res facti inter homines probantur. Quando autem legitimo in coniugio prægnata proles, ex pacto matrimoniali, sive expresso sive tacito, dijudicanda res erit. Ubi in statu naturalis libertatis & supra leges civiles existunt conjuges, pacto inter se ita convenire possunt, ut matris jus in prolem sit potius, imò vel nullum in eandem Patri imperium concedatur, quemadmodum à personis suramum imperium tenentibus non-nunquam fieri, Historiæ testantur. In civitatibus autem plus potestatis pater præ matre in liberos habet, ut, utriqve quamvis æqualiter debitâ reverentiâ animique gratitudine, patris non iniqua iussa voluntati matris præferenda sint. Ut etiam civitates per mares constitutæ sunt, & à patre contractus matrimonii ordinariè incipit; ita hic caput universæ familie ipsiusque adeò matris existit. Patre autem defuncto, omnis illi competens potestas, ut in reliquam familiam omnem, sic & in liberos, in matrem derivatur, secundum tritum illud: Qui succedit in locum, succedit in jus.

THESES XI.

Ut ut ordinarie liberi non sint res in commercium venientes; extra-ordinarie tamen in casu necessitatis, ac ubi eum alendi ratio alia nulla suppetat, filium oppignorare aut in tolerabilem vendere servitutem Parentibus licitum esse, cum *GROTIO Lib. II. de Jur. B. & P. Cap. 5. §. 5.* nec non *PUFENDORFIO Lib. II. de Off. Hom. & Civ. Cap. III. §. 9.* affirmamus; dissentiente *BOECLERO Not. ad Grot. l.c.* Attamen ita vendendi liberi sunt, ut ne eorum officiat ingenuitati: non tam persona filii vendi debet, quam ejus opera, quâ acquirat, unde & sibi & Parenti egeno sufficiant alimenta. Quidam & observandum, ut vendatur sub conditione retractus, ubi Pater ad lautiorem fortunam pervenerit, aut quisquam alias redimere istum velit. Conf. *CLASENII Comp. Polit. Lib. I. Cap. III. §. 9.*

TH. XII. Veluti omnes reliquæ actiones hominum atque Studia; Ita & Moralis Philosophiae Studium ad huncultimum finem tractandum atque dirigendum est, ut eveniat inde proximo utilitas, &

DEO SOLI GLORIA.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002663059/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002663059/phys_0012)



U.S.Ohleru. ad Pufend. l.c. §. 2. Obs. 95. qvocum & alii nonnulli
 theismum esse detestabilem, haud tamen gravissimis
 ebere, putat, additâ ratione: qvia vi & pœnis notio
 ingeri potest: Errantis pœna est doceri, exitus DEO
 Sed hæc ratio tum eqvidem valet, nec aliam in con-
 sumus, si quis Atheismum suum sibi servat & occul-
 bstinens, nec disseminare ipsum aliisque instillare
 eundem propalare aliorumque animis ingerere co-
 endus est, ne infanda suâ doctrinâ, qvâ nulla perni-
 esse potest, cives corruptat. Etenim si omnibus per-
 membris, nullum dari DEum, qui timendum ab ho-
 am, qvæ solo remansura esset Legum vis? qvæ Imperan-
 potentia? qvæ inter mortales fides? qvæ humanitatis?
 qvæ omnia longeque plura alia, qvibus nititur sa-
 forent, Atheismo in Civitate graflante.

THESES IX.

distingvenda est in Polyandriam, qvâ foemina
 nubis maritis; & Polygyniam, qvâ unus mas
 sit uxores. Polyandriam juri Naturæ adversam esse,
 ur. Rationem plerique à causâ Physicâ repetunt, fieri
 commixtionem, persvasi. Ast ea metuenda nulla est,
 ione. Non igitur causa physica, sed potius moralis
 erenda est, qvæ in eo consistit, qvod partus redditur
 a mater patrem satis certò indicare possit. Inde au-
 t vel singuli eundem sibi velut suum vindicent, ex qvo
 uræ socialitatem evertentes; vel omnes educationem
 detimento civitatis. Quantum verò ad Polygyniam
 aturæ prohibitam esse, nulla evidente satisqve solidâ
 ri potest. Nibilominus, se vel maximè à primævâ
 tione in divinis literis tradita abstrahamus; ex ipsâ
 ne constat, longe decentius juxta atque utilius esse,
 entum: qvæ sunt verba PUFENDORFII Lib. II. de
 Cap. II. §. 5. in qvibus ducimus acquiescendum esse.

THESES X.

hum ad generationem & educationem liberorum uterq;
 Mater æque ac Pater, qvod suum est conferendo; ita
 aliquva competit potestas. Ast fieri nequit, ut duobus
 alterum imperium competat, & hinc qvaritur: utrius-
 nam.

the scale towards document

Scan Reference Chart TE63 Serial No.
 Image Engineering Patch Reference numbers on UT

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

10 09 08 07 06 05 04 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

4.5 5.0 5.5 6.0

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100

100